

verbis illis: *in opere et sermone et operatione anime Ego autem coram* — —.

XC. VII D. 23

261 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas currente calamo scriptus hanc in Theca anteriore praefert notam: *Hunc librum testatus est Domui Collegij ducalis Wienn. Egregius vir Magister Andreas de weytra Sacre Theologie professor eximius &c. Vir hic cognomine Hofmüller post gestos a. 1432 et 39. academicos fasces a. 1452. etiamnum superstes et facultatis suae Decanus fuit. Liber porro sequentia complectitur: I. Domini Petri de eliaci (Alliaco, d'Ailly) episcopi Cameracensis postmodum sancti Crisogoni presbiteri Cardinalis expositionem super septem psalmos penitentiales. Praefatio incipit: *Penitentia uera velud scala quedam est &c. Ut alibi.**

II. fol. 13. *M. Hainrici de bassia*, ut in subscriptione dicitur, *epistola pacis. Anno domini 1420.* Annus hic absque dubio Librarii est, cum annum 1397. supremum habuerit *Henricus*, titulus vero operis non parum involvit Scriptores, dum inter ea, quae Autor noster de Schismate inter *Clementem VII.* et *Urbanum VI.* elucubratus est, alii *Consilium Pacis*, alii *Epistolam Pacis*, alii *Dialogum de Schismate*, alii *Carmen inuectiuum in Schisma sui temporis* memorarent. Negotium ex parte extricatur, si sciat lector, *Epi-*

*stolam nostram Pacis* eandem esse cum *Consilio Pacis*, quod Capite I. mutilum *Hermannus von der Hardt* ex *Cod. Helmstad.* inferuit T. II. *Concil. Constant.* P. I. quo loco lapsus vir doctus *Henricum nostrum fata Constantiensis Concilii vidisse et superasse* in titulo scripsit. Miror vero, cum ei multa sane ad vastum illud Opus supeditarit *Bibliotheca Caesarea*, *Codicem* praesentem praeteritum fuisse. Sed neque, qui *Gersonis Opera Antverpiae*, ut saltem fert titulus, a. 1706. edidere, conati sunt Caput illud I. unde unde recuperare, *Traëctatum κεφαλον T. II. col. 809.* ex *Herm. v. d. Hardt* repraesentare contenti. Ejus igitur ut integritati consulatur, totum illud Caput huc exscribendum duximus.

*Uniuersis nauicula (sic) Petri gubernacula inter undosi maris procellas regentibus ceterisque orthodoxis reformande ecclesie ministerio quomodo libet astrictis, mecum qualiscunque sim, cogitare que ad pacem sunt iberusalem. Vidi iniquitatem et contradictionem in Ciuitate, diuinus dixit propheta. Qui incolis ciuitatem Dei, que est Fidelium vniversalis ecclesia, sedentibus in tabernaculis Fiducie et in requie opulenta incrassatis, impingwatis et dilatatis. Caro incaluit, refriguit spiritus, sapuit mundus, insipuit Deus, insurrexit dyabolus, et virtutibus proscriptis succreuerunt vicia. Semitas patrum obliquauit posteritatis malicia: violata sunt ecclesiastica decreta, quoniam Christi ecclesia in sangwini-*  
bus

bus edificabatur: Sanctuarium Dei quasi hereditarie possidebatur. Grex Domini presentia pastorum priuabatur: Patrimonium Christi in vanitatibus et pompis consumebatur: Tempia Domini cultus ruinam patiebantur: indigni dignitatibus extollebantur; digni postponebantur: Si eis beneficia dabantur, post pro indignis reseruabantur. Viri ecclesiastici mundana cupiebant, spiritualia fastidiebant; Legibus seculi, litium fomentis studebant; diuinis eloquiis pro animarum incendiis non pollebant. quid plura? Obseruancia dignissime rerum spiritualium regule carnalium negligentia posterorum fere omnes labefacte. Quibus patrum antiquitas operibus tenebrarum dissona displicuit, et suarum inuencionum traditionumque diuine Legis emula nouitas placuit, qua lites perpetuabantur, et mille fraudes in ciuitate Dei committebantur; Simonia, beneficia vendebantur, episcopatus conferebat; indulgencias, absoluciones, dispensaciones pecunia impetrabat; auaricia exactionibus premebat; auaricia omnia sciebat et omnes peruertebat; Luxuria ardebat. Sed quia tandem viciorum iniciium et consumatio accedens pacis emula Superbia ciuitatem Dei uniuersam discordia confundebat: hanc igitur vidit propheta iniquitatem, que, ut vereor, concepit dolum (sic) et peperit contradictionem in ciuitate.

Postquam contradictionem, procho dolor! presens contentiosum scisma non solum Legibus diuinis et humanis aduersarium, scilicet inuio-

labilem utique contradictionis (traditionis?) Legem infringere temptans, cum jus posituum assertioni standum esse contendat et ipsi contradictoria qua equo veritatis testimonio asseruerunt, ut patebit infra. Ergo quid mirum, si hoc scisma, nequam contradictionis proles, monstrum monstrorum, que contradictio gignit suam monstruositatem rebus omnibus inimicam cunctis Legitimis interemptis decursibus confundat. multa ambiguitate perplexum et scrupulositate auxilium Christi tunice inconsutilis Laterum ecclesiastici ordinis confusuum, generalium studiorum dissipatum, heresum et errorum propagatum, populi Dei mille scandalis offensuum, et quod horrendius est, turpi monstruositate deformatum sponse ihesu Christi, que jam diuiso capite, ut ita loquar, facta est quasi acephala aut velud monstrum biceps. Quoniam de ipsius utero partus quasi viperinus erumpens gemellus, ruinis quassatis visceribus matrem diuisit: diuisam in doloribus vsque adhuc diuisit, Legitimas reunionis medelas non querit, quantus (quamvis?) conspiciat de malo in pejus maternum putrescere vulnus, gemitibus utique descendum lacrimosis. Inde quia non dum (non modo?) caput ecclesie languet, ut (et?) viscerum dolor ventrem distorquet, sed et in membris ecclesie venenata vulneris redundantia dolorose apostemata et febricitat. que triplex morbida propago sacrosanctam fidelium ecclesiam hodie exclamare cogit, Caput meum doleo, ventrem

trem meum doleo, ventrem meum doleo; compages artuum meorum soluebantur, et ultra spiritum non habebam. Sed quis de hoc clamore non miratur, qui videt in patulo ex hoc scismate mille pericula eminare corporum et animarum corruptionem morum, depressionem humilium deuotorum, exaltationem viliū reproborum, simplicium seductionem, anticristi introductionem, gaudium saracenorum, tripudium Judaeorum, commotionem gwerarum et preliorum. Temporalia dissipantur ecclesie, cultus diminuitur diuine honorificentie, defunctorum defraudabuntur (sic) anime Legitima sacrorum ministracione et orationum oblacione. Surgent (sic) in prelatos principes subiecti populi, scandalizati Laici clericis redduntur infesti; detractiones multiplicantur, conscientie in-

quietantur. In vicarium Christi dampnabiles exprimuntur blasphemie, cum unus eorum communiter creditur esse Papa, et nihilominus alterutrum se blasphemando appellent vel anticristum et serpentem tortuosum vel machometum aut Ydolum ignominiosum et cetera, que christianis auribus nimium horrenda esse debent terrente verbo Saluatoris: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit iebenne ignis. Cuius memores CL Patres Sinodi Ephestine prime contra Nestorium Episcopum et hereticum Sinodalia decreta eidem transmittentes. &c. quae in memoratis editionibus habentur.

Illud ex subiectis in calce verficulis, ut verficulos amabat Henricus noster, addo: optime litem de Titulo Operis componi v. 3.

*Consilii placeat nominetur Epistola pacis.*

Itaque *Epistolam Consilii Pacis* dici volebat, quorum alterutrum omittendo facile duo diversa opera effinxeris.

III. fol. 29. Anonymi brevis *Tractatus de Tribus Habitaculis*, qui sine Titulo incipit: *Tria sunt sub omnipotentis dei manu habitacula. Summum ymum et medium. Quorum summum regnum dei id est regnum celorum, ymum vocatur infernus, medium mundus presens* &c. In horum descriptione et comparatione totum exigitur usque ad ultima verba: *deum omnipotentem benignum et misericordem cui est honor* &c. Recurrit alibi.

IV. fol. 32. p. 2. *Incipit tractatus de occultatione viciorum sub specie virtutum.* Infra col. dicitur *Magistri Hainrici de vrimaria.* Initium: *Est via que uidetur homini recta* &c. *Quia secundum gregorium. Moral. Multa sunt vicia* &c. Percurruntur vitia VII. Capitalia, singulisque Remedia generalia et specialia administrantur. Finis: *poterimus extirpare. Quod nobis deus prestare dignetur. Amen.* De hoc *Tractatu* ejusque Autore jam meminimus alibi.

V. fol. 45. *Tractatus de discretionem spirituum M. bainrici de basia.*

fia. Jam *Cod.* alio indicatus, sed ibi absque Autoris nomine.

VI. fol. 55. p. 2. *Incipit tractatus de instinctibus interioribus hominis M. Hainrici de vrimaria.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam &c.* *Licet uerbum propositum exponatur &c.* Finis: *et in futuro per gloriam consequi Ihesus christus, qui cum patre &c.* Quatuor distinguit Autor Instinctus: *Divinum, Angelicum, Diabolicum et Naturalem.* Tractatus teste *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. lat.* lucem vidit *Venetis* 1498. et pluries alibi, ut *Antverpiae* opera *Corn. Dielmani* O. S. Aug. 1652. 8. una cum praecedente *Henrici de Hassia.*

VII. fol. 77. *Incipit tractatus de Confessione Magistri Matbie de cracovia.* Additum alia manu: *et secundum alios Jobannis de Deo.* Puto neutrius. Nec etiam *Thomae Aquinatis*, quamvis ei a *Trithemio* adscribatur, et extet inter ejus Opera edit. *Rom.* 1570. T. XVII. *Opusc.* 64. fol. 102. Sed subscribo *Job. Gersoni*, qui ad finem *Tract. de Pollut. diurna* ait: *Ascribunt aliqui S. Thomae, sed magis apparet ex stylo et materia, quod sit Bonaventurae.* Itaque et in editione Ejus *Opusculor.* *Argent.* 1495. legitur, et receptus est in T. VII. *Operum Lugd.* 1668. p. 646. f. *Incipit vero: Quoniam fundamentum et ianua virtutum &c.* Et finit: *cum apparuerit gloria tua. Ad quam nos perducatur, qui vivit &c.* In *Cod.* nostro *Compactoris* vitio a fol. 81. redeundum est ad fol. 68.

Denis *Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

VIII. fol. 81. *Incipit alter tractatus de tribus partibus penitentiae descendens ad singula peccata mortalia, quem videtur fecisse Magister Nico. de dinklspüchl.* Et *Trithemius* illi tribuit, et extat inter ejus *Opera* impressa, ut dixi alibi. Initium, ut ibi: *Secundum magistrum et doctores &c.* Finis: *preces fundere neglexerit.*

IX. fol. 87. p. 2. *Incipit liber meditationum Reuerendissimi domini Bonaventure Cardinalis et doctoris, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Est *Soliloquium* illud, quod T. VII. *Opp. Lugd.* 1668. p. 105. de quatuor mentalibus *Exercitiis* dicitur, et incipit: *Flecto genua mea &c.* Jam indicatum *Codd.* aliis, ubi vides, quatuor diversis titulis *Tractatum* hunc a diversis *Librariis* venditari, quare boni illi homines non levem passim crucem *Bibliographis* fixere.

X. fol. 107. *Incipit probemium beati Anselmi in profologion.* Initium: *Postquam opusculum quoddam velut exemplum meditandi &c.* *Prooemium* excipit *Tabula Capitum.* *Opusculum* ipsum in his C. *penult.* verbis deficit: *et ille se et illos per seipsum — —.* *Integrum* extat in *Anselmi Cantuar.* *Opp.* edit. *Paris.* 1721. p. 29. f.

XI. fol. 116. *Incipit tractatus de celebratione missae editus a Magistro Johanne de gerson.* Initium: *Dubitatum est apud me frequenter et diu &c.* Extat *Opp.* omn. T. III. *Antverp.* 1706. col. 323. *inscriptus: De Praeparatione ad*

*Missam et pollutione nocturna, et nobis alibi iterato.*

XII. fol. 122. p. 2. *Incipit Tractatus de Arte audiendi confessiones Magistri Johannis de Gersona Cancellarij parisiensis. Initium: Etiam si Virtus quam assuefactio gignit &c. Extat Cod. alio et Opp. T. II. col. 446.*

XIII. fol. 126. p. 2. *Incipit Tractatus De vita Contemplativa practice considerata distinctus per 12. considerationes Magistri Johannis de Gersona Cancellarij Parisiensis. Initium Prologi: Tractantes in lectionibus nostris jam a multo quamuis interrupto tempore &c. Est Pars II. Considerationum de Mystica Theologia, et extat Opp. T. III. col. 399.*

XIV. fol. 140. p. 2. *Sequitur Tractatus Johannis de Gersona de remediis contra recidivam peccandi a confessoribus dandis. Initium: Habet hoc proprium ars quelibet &c. Extat Opp. T. II. col. 457. In fine nobis adtextitur illa particula de Circumstantiis in Confessione inquirendis, quae in impressis Tractatum praecedat: Praeterea iste circumstantiae quae habentur per hunc versum &c.*

XV. fol. 143. *Incipiunt hic ammonitiones Cesarii Episcopi Arelatensis. Sunt illae XII. Homiliae, quas dabimus Cod. CCLXI. Hic porro in hunc modum subscriptae sunt: Expliciunt sermones Cesarij Episcopi Arelatens. Apud aliquos intitulantur Omelie Eusebij Emiseni.*

XVI. fol. 162. *Incipiunt libri etymologiarum ysidori iunioris by-*

*spalensis episcopi ad braulionem cesaraugustanum episcopum conscripti. Ita quidem titulus; sed cave, quid expectes praeter horum Virorum Epistolas ἀποστολάς VI. quarum V. Dubreulius in edit. Opp. Isidori Paris. 1601. f. Libris Etymologiarum praefixit, primam, quod nihil ad hos libros pertineret, inter alias Autoris epistolas tertio loco p. 694. exhibet. Incipit vero illa: Domino meo et dei seruo braulioni episcopo ysidorus episcopus. Omni desiderio desideravi nunc videre faciem tuam &c. Porro cum nova Isidori editio in multorum eruditorum votis sit, specimen aliquod variae Lektionis ex his epistolis subjungere visum est. Legit itaque Codex noster ep. 2. Servorum pro Sanctorum. Piiissime pro pie. Pestis mortalitatibus pro luis. Ep. 3. aspicerere merear pro aspicerem. Ep. 4. stulta pro styli. famulis pro familiaris. moderatur pro dispensat &c.*

XVII. fol. 164. *Quod non licet habere monacho proprium. Seu ut in calce notatur: Tractatus de proprietatibus religiosorum Editus per venerabilem M. h. de bassa doctorem sacre pagine. Incipit: Pro salute eorum qui vicia fugere cupiunt &c. et finit: quantum ei opus est in christo ihesu domino nostro Amen. Thema suum propugnat Autor ex Jure canonico, et ex Regula S. Benedicti. Exemplar etiam ms. invenit Mansius in Coenobio Scotor. Vien. ut testatur in edit. Biblioth. Fabricianae L. VIII. p. 220. Ut tamen nihil diffimulem, in indice, qui Cod. nostro pra-*

praefixus est, de Libello dicitur: *Est, ut putatur, M. Hainrici de Hassia.* Recurrit alibi.

XVIII. fol. 169. *Questio utilis, quare homo aliquando est bene dispositus devocioni, et quandoque non.* Quatuor assignat causas Autor anonymus: *Negligentiam propriam hominis, impugnationem dyabolicam, nimiam defatigationem virium sensitiuarum, et dei dispositionem.* Incipit: *Solet a nonnullis queri, quare hoc sit quod homines spirituales &c.* Finit: *patet ex dictis intuenti ea.*

XIX. fol. 172. *Tractatus imperfectus de Indulgentiis, cujus initium: Quoniam nonnunquam in quantitate indulgentiarum quas ex concessione Prelatorum fratres dant in predicacionibus et pronunciant seu pronuciari faciunt in suis festiuitatibus a quibusdam hoc minus fauorabiliter interpretantibus impingitur (impugnatur) quasi fratres in hac parte faciant quod non debent uel non possunt.* Id circo pro excusatione fratrum intendo scribere tractatulum unum si placet de quantitate indulgentiarum nominandum &c. XII. *Quaestionibus* constat, sed jam in secunda deficit.

XX. fol. 177. *Tractatus Cancell. Parys. de potestate ecclesiastica.* Post *Prooemium*, quod materiam XIII. *Considerationum* exponit, incipit: *Potestas ecclesiastica debet ab ecclesiasticis &c.* et finit: *Ratus vero dupliciter vel de Jure vel de facto. Hic tractatus scriptus est seu compositus in Concilio generali Constan. per R. M. Johannem*

*de Jersauo (Gersona) Cancell. Parysien. Anno domini M° CCCC° 17.* Extat *Opp. T. II. col. 225.* et nobis alibi.

XXI. fol. 190. *Sequitur tractatus bonus de sacerdotio et regno et multa bona circa ista tractantur in sequentibus, quem composuit, ut audiui, quidam Magister parys. et ex quo precedens tractatus in magna parte est tractus.* Magister hic, ex quo *Gersonem* profecisse Noster asserit, est *Johannes Quidort, Surdus, le Sourd, de Soardis, vel vulgo dictus Parisiensis O. P.* qui Sec. XIV. ineunte floruit, ut habes in *Scriptt. O. P. T. I. p. 500.* Editiones Tractatus praesentis damus alio loco. Incipit: *Interdum contingit, quod vitare volens &c.* Finit: *et sine qua papa non sit papa.*

XXII. fol. 220. *Tractatus de vita spirituali anime Johannis de gersona &c.* In prolixiore titulo miniato ad hoc opus tanquam Pars II. et III. revocantur *Tractatus de Discretionem spirituum et de vita anime contemplatione stabilite*, qui tamen tardius in *Cod.* consequuntur. Praefens incipit ab Epistola ad *Petrum de Alliaco*, ut in edit. T. III. p. 2. et finit: *Ita finem huius operis dedicamus.*

XXIII. fol. 252. p. 2. *Probemium in tractatum de contractibus Magistri Johannis Gersonis Cancell. parys.* Initium: *Qui volunt diuites fieri &c.* Finis: *tam diuino quam humano iure dampnatam.* Extat T. III. col. 165. Sed nobis adhaeret *Judicium Job. de Imola Doct. Bononiensis*, qui lecto *Ger-*

sonis Tractatu eosdem, quos ille, Contractus illicitos declaravit.

XXIV. fol. 265. Sequitur sermo cancellarij parisiensis quando rex romanorum (Sigismundus) iuerat a constantia ad regem arragonum et ad petrum de luna pro unione ecclesie procuranda. Initium: Prosperum iter faciet nobis &c. Extat T. II. col. 273. et nobis alibi.

XXV. fol. 274. XII. Considerationes super modo protestandi M. Jo. de gersona canc. Paris. Additur alias: Circa materiam fidei. Initium: Protestatio seu reuocatio generalis aut condicionalis &c. Habentur T. I. col. 28. et nobis iterum.

XXVI. fol. 279. p. 2. Incipiunt XII. Considerationes de pertinacia notanda in aliquo. Magistri Johannis Cancel. Initium: Pertinacie propria ratio que errantem &c. T. I. col. 36. nobis pariter alibi.

XXVII. fol. 280. p. 2. Sequitur declaratio pulcra Cancellarij parisiens. que veritates de necessitate salutis sint credende et que sapiant heresim. Initium: Declaratio compendiosa que veritates &c. T. I. col. 22. et nobis iterato, sed hic subscripta non est Determinatio in Concilio Constantiensi, ut in impressis.

XXVIII. fol. 284. p. 2. Sequitur tractatus Joh. gerson factus contra hereticos dicentes de necessitate salutis esse laycos recipere sacramentum sub utraque specie. Incipit: Oblaturus iuxta seniorum huius sacri Concilij Constan. &c.

Pluries a nobis indicatus, et hic integer, ut T. I. col. 457.

XXIX. fol. 289. p. 2. Incipit Tractatulus de Spirituum probacione Magistri Johannis Gerson Canc. Paris. Additur denuo, esse Partem 2. Tractatus de vita spirituali anime. Initium est: Probate spiritus si ex deo sunt iubet &c. ut T. I. col. 37.

XXX. fol. 293. p. 2. Secuntur remedia contra modernas temptationes. Infra antiqua manu notatur: Ex stilo videtur quod non Gersonis. Neque inuenio in ejus Operibus. Initium habent: Ad honorem dei dicam aliqua remedia contra aliquas temptationes spirituales, que in hoc tempore habundant &c. Remedia haec numero XII. sunt, quae definunt: et sic domino iuuante ipsas superabis. In nota miniata subiecta Remedia haec cum praecedente opusculo dicuntur Partem II. Tract. de vita spirituali anime constituere; Partem vero tertiam haberi supra fol. 126. Atqui ibi Tractatum de vita Contemplativa praetice considerata vidimus, quae potius Pars est II. Considerationum de Mystica Theologia. Nihil ejusmodi Distributionis in suis Codd. mss. observaverint Editores Parisini.

XXXI. fol. 297. Incipit formula visitandi M. Johannis de Gersona. T. II. col. 558. inscribitur: De visitatione Praelatorum vel de cura Curatorum. Initium est: Ad laudem dei et edificationem populi cristiani compilata est brevis et rudis instructio tempore quo celebrabatur remis prouinciale concilium

Anno

Anno 1408. &c. Finis: *spiritus sui robur deus qui est benedictus in secula. Amen.*

XXXII. fol. 301. *Incipit tractatus de directione habenda in raro uel cottidie celebrando missam et quo ordine sacerdos semel in die digne valeat celebrare. Et de hijs qui pluries vna die celebrant indifcrete.* Initium: *Quemadmodum in quorundam domibus nobilium nomina eorum &c.* Finis: *et in spiritualibus epulis recumbere desiderat.* In elencho Cod. praefixo ad latus tituli eadem manu notatur: *M. Matthie de cracouia.* Tractatum de eadem materia hujus Auctoris adferimus alibi, sed is *Dialogus* est et aliter incipit. Itaque, si non fallit Librarius, duo ejusdem Argumenti Opuscula ab hoc *Matthia*, potius *Matthaeo*, profecta esse oportet. Id, quod etiam innueret *J. Frid. Schannatus* in *Hist. Ep. Wormat.* T. I. p. 408. si de ejus in hoc genere *αυριβεια* magis constaret. *Dialogum* enim *inter conscientiam et rationem* a *Libro de Celebratione Missae* distinguit. Sed nempe novimus miram elapsi Aevi in Titulorum conflagratione oscitantiam, cui nonnisi multorum *Codd.* collatione medeare.

XXXIII. fol. 309. p. 2. *Incipit Tractatus de contractibus habens duas partes. M. Haimrici de Hassia.* Praemittitur Index Capitum utriusque Partis. Non est ille *ad Consules Wienn.* sed prolixior alter, qui incipit: *In sudore vultus tui &c.* et *Codd.* pluribus indicatus est.

XXXIV. fol. 358. *Sermones M. Ni. de dinklspruchl de corpore christi.* Sunt numero V. Primus incipit: *Caro mea vere est cibus &c.* Reliquorum initia dedimus *Cod. DCCLXII.* ubi *Sermones* hi auctoris nomine destituti occurrunt. Inter rarissima *Nicolai* scripta esse, inde conjicias, quod vix unus alterve Bibliographus eorum meminerit.

XXXV. fol. 390. *Incipit tractatus de defectibus Misse.* Initium: *Defectus misse sunt, quando requisita ad celebrationem misse deficiunt &c.* Dividuntur hi defectus in defectus ex parte materiae, ex parte ministri, et ex parte formae. Finis: *et de nouo resumere a consecratione sanguinis et sacrificium perficere.*

XXXVI. fol. 394. *Incipit Crisostomus de reparacione lapsi.* Est hic *Λογος παρααιετικος εις Θεοδωγον εκπεσοντα*, et quidem prior, si tamen uterque hic *Sermo* ad eundem *Theodorum* post *Mopsuestenum* Episcopum dirigitur, ut doctissimus *Montefalconius* in *Monito* praevio Edit. *Opp. Chrysof.* T. I. p. 1. *Paris.* 1718. f. contra *Tillemontium* propugnat. Initium est: *Quis dabit capiti meo aquam &c.* Finis: *alia ultra medicamenta non requiras.* Rejecit interpretationem hujus Sermonis ab incerto, ut ait, Interprete factam *Editor supracit.* utpote non accuratam, novamque paravit. Sed cave, eam nostram putes. *Incertus* ille Interpres est *Wolfg. Fabritius Capito*, qui *Versionem* suam primum publicavit *Basileae* in  
P 3 aedib.

aedib. Jo. Frobenii 1519. 4. unde in omnes Chryf. Editiones Basileenses et Parisinas tranſiit. Hanc rejecit Montefalconius; de noſtra vero praefente nil meminit. Seculo jam X. paratam fuiſſe Codex noſter CCXII. docebit; at etiam typis extat, et quidem non modo in edit. Veneta Opp. Chryf. 1503. f. ubi ſecundae numerationis fol. 29. legitur, ſed Bibliotheca Aug. inſuper Syllogen opufculorum char. goth. f. l. et a. 4. excuſam ſervat, quae editionem venet. fortassis aetate ſuperat, et in quam noſtra quoque Verſio recepta eſt. Utut adcuratione multum infra Montefalconianam ſit, inveniffet tamen Vir hic locum illum T. I. p. 29. και ἠσπαζοντο, et amplectebantur, quem in Monito retractans reddit: et ſalutabant, in ea jam recte habere.

XXXVII. fol. 411. Incipit Crifostomus de Compunctione cordis. Initium: Cum te intueor beate Demetri frequenter inſiſtentem michi &c. Finis: effecti cibus inextricabilibus et immortalibus flammis. Diviſio in II. Libros non niſi per literam capitalem miniatam indicatur. Extat Montefalc. T. I. p. 122. cum nova verſione. Noſtra habetur in Sylloge ſuprac. primo loco, et in edit. Veneta ſecundae numerat. fol. 20. p. 2.

XXXVIII. fol. 426. abſque titulo: Johannis de Gerſona Formula viſitandi, ut ſupra. No. XXXI.

XXXIX. fol. 428. p. 2. Reſponſio Ambaſiatorum concilij baſilienſis ſuper articulis boemorum

facta 23. die Junij. Incipit: Quantum ad articulum de predicatione verbi dei, dicimus &c. Fuſius haec habentur T. XVII. Concil. Labb. edit. Venet. col. 205. ad an. 1431. ubi et Ambaſiatorum nomina recensentur.

XCI. VI. 9. 27.

Codex chartaceus lat. Sec. 541 XV. Folior. 377. 4. caractere praegrandi craſſoque perſcriptus et quondam Wenceslai Roſſii Sacerd. qui, ut in tot aliis haecenus recensitis, variis paginis nomen notasque temporum adjecit, eſt Commentarius fuſus in V. Pſalmos, videlicet a CIV. ad CVIII. hoc initio: Sequitur Pſalmus 104<sup>us</sup>. Conſitemini domino et invocate nomen eius &c. In precedenti pſalmo monuit ad laudandum deum ex conſideracione beneficiorum eius vniuerſe creature exhibitorem &c. Ex his verifiſimile ſit, quae in hoc Cod. extant, Partem eſſe Commentarii in totum Pſalterium, atque hic excuſſis quam plurimis Commentatoribus non invenio, ad quem magis cum retum phraſi ipſa accederent, quam ad Alberti M. Expoſitionem, quae habetur Opp. omn. edit. Lugd. 1651. T. VII. f.

XCII. VI. C. 27.

Codex chartaceus lat. Sec. 147 XVI. Folior. 10. f. continet Metaphraſin Pf. LXXXVIII. Miſericordias Domini in aeternum cantabo &c. et Pf. LXXXVIII. Deus